166 7

NOTÆ AD CENSVRAM

EDITAM NOMINE FACVLTATIS Theologiæ in opus quod inſcribitur *Hiſtoria Univerſitatis Pariſienſis.*

CENSVRA.

Contra veritatem Sacræ Hiſtoriæ.

A Quo tempore à Medis ad Perſas trãſlatum eſt Imperium captaque à Nabuchodonoſore Hieroſolyma. *Tom. 1. p. 6.*

B David enim Rex

A PArentheſis eſt, quâ conſigno tempus duplicis navigationis Phocenſium: primam quâ maritimos Galliæ fines ad oſtium Rhodani amnis attigerunt, & illo circiter tempore capta eſt Hieroſolyma: alteram quâ quibuſdam ex iis in patriam reverſis & referentibus quæ viderant, nova indigenarum colonia cum iis demigravit, & Maſſiliam venit. Et illo quoque circiter tempore tranſlatum eſt à Medis ad Perſas Imperium. Cæterum pergratum mihi facerent Cenſores, ſi locum indicarent Hiſtoriæ Sacræ, ubi mentio fiat tranſlationis Imperij Medorum ad Perſas. Nec video quid ſit illis in animo damnare, niſi putent me dicere eodem tempore eodemque anno captam fuiſſe Hieroſolymam, & tranſlatum à Medis ad Perſas Imperium, quod falſum eſt.

B Verba iſta pars ſunt parentheſeos, quæ ſi tota referatur, vaneſcet calumnia Cenſorum. Sic ſe habet. *Cum ergo Reges nonnunquam ſacerdotes vocentur, (David enim Rex erat & Sacerdos, & Alcuinus Carolum M. vocat Davidem: Fortunatus Childebertum Regem atque Sacerdotem & gloriam Pontificum.)* nonnunquam dico, latiorique ſignificatu, & eo ſenſu Davidem *Sacerdotem* voco, quo Childebertus à Fortunato *Sacerdos* appellatur. Ita quoque appellari poſſe putavi, quia unctus erat, & ſuâ unctione figura ſacerdotij Chriſtiani, teſte Auguſtino homil. 50. *Intuere David Regem, Iam utique & ipſe illius temporis ſacramenta perceperat; jam circunciſus erat utique, quod Patres noſtri pro Baptiſmo habebant. Iam etiam unctus erat unctione venerabili,* quâ Regale ſacerdotium *præfigurabatur Eccleſiæ.* Præterea quia, Propheta: Prophetia autem naturaliter quo-

erat & Sacerdos. *Tom. 1. p. 400.*

dammodo ſacerdotio cohæſiſſe videtur. Ad hæc, *Filij David erant ſacerdotes.* 2. Reg. 8. Sic dicti ſecundum Interpretes, quia filij Prophetæ; quidni & pater Propheta, ſacerdos ad eundem ſcripturæ ſenſum, dici poteſt? Inductus quoque ſum autoritate Nicolai I. in 1. parte Decreti diſt. 96. c. *cum ad verum ventum eſt.* Et Gloſſę ibidem. *In veteri teſtamento eadem perſona Rex erat & Sacerdos.* Hæc ergo omnia habenti mihi prę oculis viſa ſunt ſufficere, ut Davidi tribuerem ſaltem impropriè nomen Sacerdotis. Quæ aut non debuerat ignorare Cenſor, aut ignorans ſcientem non redarguere.

CONTRA S. DOCTRINAM ſeu Theologiam.

C Poſt Agapitum Damaſcenus ſcripſit præcepta Grammatices an. Chriſti 700. vnde ortam aiunt diſciplinam illam quæ Scholaſtica nuncupatur, quamque comparant cum famoſa illa Scylla veterum, ad ſpeciem quidem pulcra, ſed latrantibus monſtris ſuccincta, utpote refertam mille quęſtionibus & diſtinctionibus inutilibus. *Tom. 1. p. 348.*

C. Eò loci refero ſententiam Danæi cæterorumque ejuſdem farinæ hæreticorum, ſed quod maliciosè ſupprimit Cenſura, verbis expreſſis mox damno ſic ſcribens. *Eamque omnium peſſimam eſſe putat Danæus, & cum eo omnes fere Hæretici ſcriptores Pſeudoſcholaſticam à vera Scholaſtica non diſtinguentes. Quomodo Trithemius ait ab an. circiter* 1000. *Philoſophiam ſecularem ſuâ curioſitate inutili ſacram Theologiam fœdare cœpiſſe.* Sed quod omnem adimit dubitandi anſam, ſic ſcribo ex profeſſo tom. 2. p. 200. *Vt Philoſophorum, ita & Theologorum plures erant ſectæ. Vna veterum, qui fidei dogmata ſacræ Scripturæ & SS. Patrum autoritatibus & argumentis confirmare contenti erant. Altera Modernorum* (*qui &* Scholaſtici dicebantur) *& illi regulis Ariſtotelicis & Dialecticis nimio fortaſſe plus quàm Theologos decuiſſet, confiſi plurimas propoſitiones curioſas ſed inutiles, & ad errorem potius quàm ad veritatem inducentes dictabant & conſcribebant. Tertia veluti inter extremas media eorum erat, qui non reijciebant quidem Ariſtotelem & Philoſophos, ſed intra fines circunſpectæ prudentiſque Theologiæ ſe continebant & ad ſobrietatem ſapiebant.*

D Ait eam degeneraſſe in varias hæreſes. *Tom. 2. p. 684.*

D Sic ſcribo, *tandem abijt in varias hæreſes tam ab ipſa Vniverſitate quàm ab Eccleſia Catholica in Concilio generali Lateranenſi damnatas:* Exempla Simonis de Tornaco & Amalrici Carnotenſis ac ſequacium Theologorum Pſeudoſcholaſticorum, quorumque hæreſes refero initio 3. vol. probant ſufficienter quod dico Scholaſticam degeneraſſe in varias hæreſes, vitio ſcilicet Theologorum Scholaſticâ abutentium, hincque factum, ut, quemadmodum ſcribo tom. 2. p. 585. *Doctrina Peripatetica quæ multis non contemnenda tolerabiliſque videbatur, immo commoda ad refellendos Hæreticos, pro ſeminario atque armamentario hæreſeos à nonnullis habita ſit.*

E Ait Petrum Lombardum eſſe unũ e.4. Labyrinthis hęreſim tanquam Minotaurum includentibus. *Tom. 2. p. 200.*

E Non ego talem fuiſſe Lombardum aio. Verba refero Gualteri de S. Victore, Autoris coævi, aut certè ſupparis; quæ verba retulit ante me Launoyius abſque cenſurę metu in lib. de varia Ariſtot. fortuna pag. 69. Credibile autem eſt Gualterum ad loquendum ita de Lombardo adductum ob quaſdam ejus propoſitiones ab Alexandro III. damnatas, & alias nonnullas quæ ad calcem lib. ſentent. leguntur, de quibus ſic Bellarminus. *Quamvis Petrus Lombardus Magiſter appelletur, tamen diſcipuli ejus Scholaſtici Doctores viri acuti & docti non omnia probant quæ Magiſter docuit. Notantur enim articuli 26. in quibus Magiſter rejicitur, in additione ad Magiſtrum excuſa typis. Nec ſolum opiniones ejus aliquando refelluntur, ſed etiam non defuerunt qui ad Alexandrum III. Pontificem detulerint hæreſis nomine, quod docuiſſet Chriſtum ut hominem non eſſe aliquid, &c.*

F. Laudat Gualterum de S. Victore inſcribentem caput unum & alterum de hęreſibus Ioannis Damaſceni. *Tom. 2. p. 651*

F. Refero duntaxat Gualteri verba de Ioanne Damaſceno loquentis, nec laudo quod ita loquatur. Cæterum quid reprehendit in Damaſceno Gualterus? quaſdam vocum novitates, periculoſas in fide. Et eaſdem reprehendit ſacra Facultas in Theatino quem 14. April. 1666. cenſurâ quoque notavit, ſic enim illa in fine. *Pro ſua parte* (ſacra Facultas) *proque ſui muneris atque Officij ratione Theologos monet ſuiſque præcipit, ut mandati Apoſtolici memores, devitent quæſtiones quæ ſunt inutiles & vanæ, ac profanas rerum vocumque novitates: neve in vanis argutiis excogitandis atque propugnandis ſibi placeant, aut cœcis ambagibus Theologiam involvant, ejuſque dignitatem novis ac periculoſis ſubtilitatibus dehoneſtent.* Nunc verò cenſurâ me dignum putatis, quod verba protulerim Gualteri damnantis quaſdam vocum novitates in Damaſceno. Quæ eſt iſta ratio, proh deûm atque hominum fidem! cenſurarum tam diſcrepantium? Theatinus damnatur ob profanas rerum vocumque novitates; Ego, qui Autorem profero eaſdem damnantem, ſum ſchiſmaticus. Sed agnoſco diſcrimen. Theatini novitates confixit ſacra Facultas unanimi conſenſu. Me verò damnat tumultuoſa turba malignantium Theologorum.

FAVENTES HÆRESI ET Hæreticis.

G Significat Abaëlardum injuſte damnatum fuiſſe in Syno-

G Aliud eſt fuiſſe damnatum injuſtè Abaëlardum, quod nuſquam dico, immò ubique contrarium aſſero. Aliud, dicere improbatam à nonnullis fuiſſe damnandi rationem, & id ibi ſignifico. Cæterum quid ego de Abaëlardo? pag. 155. *Delata eſt Arnoldi Brixienſis hæreſis, qui Magiſtros quondam ſuos Petrum de*

do Sueſſionenſi. Et tamen ait quod in ejus ſententia Trinitas conſiſtit in 3. Attributis, potentia, ſapientia & bonitate Dei. *Tom. 2. p. 68.*

Bruis & Petrum Abaëlardum in exemplis perverſitatis imitatus iam à pluribus annis plurima ſpargebat in vulgus hæretica dogmata, calumnioſa & Eccleſiaſticæ pacis perturbativa. Et pag. 759. *Illinc quoque exulare coactus*, Abaëlardus, *propter quaſdam propoſitiones & Tractatus hæreſim redolentes*, an id eſt ſignificare fuiſſe Abaëlardum injuſtè damnatum?

H Ait Rupertum vindicari perperam ab Hæreticis circa myſterium Euſcariſtiæ. Et tamen ait eum exiſtimaſſe panem non converti in corpus Chriſti, dum conficitur Euſcariſtia, ſed aſſumi à Verbo divino, & paſſim favet Berengario, Abaëlardo & Gotheſcalco. *p. 774. tom. 2.*

H Perperam dixi, ſibi vindicari ab hæreticis: quia nec Lutherani poſſunt ſibi Rupertum vindicare nec Calviniſtæ. Non Lutherani, nam Rupertus exiſtimabat panem aſſumi hypoſtaticè à Verbo quod negant Lutherani. Non Calviniſtæ, quia Rupertus agnovit præſentiam realem Corporis Chriſti in Euſcariſtiâ, quam Calviniſtæ negant. Verum eſt tamen erraſſe Rupertum circa Tranſſubſtantiationem, ut ex verbis ejus quæ retuli, convincitur; nec errorem ejus approbo ullatenus. Falſum eſt quod ſubditur, me favere Berengario & Abaëlardo, niſi quatenus reſipuerunt & quos exiſtimo obîſſe verè Catholicos. De Berengario ſic ſcribo tom. 1. p. 563. *Cæco ambitionis ductu in hæreſim lapſus eſt circa Euſcariſtiæ myſterium multaſque Eccleſiæ turbas intulit ab an. circiter* 1045. *ad* an. 1080. *obiit tandem verè pænitens*, an hoc eſt favere hæreticis? de Abaëlardo ſupra retuli quid ſentiam. Gotheſcalum nec hæreticum facio, nec ab hæreſi abſolvo. De eo hiſtoricè refero quid ſentirent contra eum Remenſis, quid pro eo Lugdunenſis Eccleſiæ, nihil ultra. Cæterum miror objici mihi Gotheſcalcum, cujus unicum crimen erat Prædeſtinatianorum hæreſis. Illa autem propugnante in Sorbona pro 8. Sorbonica Philippo le Feron Subdiacono Curnutæo. Baccal. Theol. Socio Sorbonico die 9. Aug. 1666. ſubſcribente M. Antonio de Breda Syndico, nulla fuit. Sic enim ille in fine 8. columnę. *Prædeſtinatianorum quos anterioribus ſeculis extitiſſe quidam volunt, hæreſis nulla.*

Schismatica.

I Ait Innocentium II. agnitum fuiſſe pro Pontifice à Gallis, non tam attentâ ratione electionis, quam meritis & dignitate perſonæ. *To. 1. pag. 111.*

I Schiſmaticum me vocas Cenſor! voca Sugerium ſic ſcribentem in vita Ludovici Groſſi de Innocentio. *Rex ut erat piiſſimus Eccleſiæ defenſor, citò compunctus Concilium Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, Abbatum & Religioſorum virorum Stampis convocat, & eorum conſilio*, magis de perſona quàm de electione *inveſtigans* (*fit enim ſæpe ut Romanorum tumultuantium quibuſcumque moleſtiis Eccleſiæ electio minus ordinatè fieri valeat*) *ejus aſſenſum electioni conſilio virorum præbet, & deinceps manutenere promitit.* Debueras locum conſulere quem indicaram.

K Turpiter

K Turpiter imponis Theologe, & falſum eſt, quod dicis, approbare me quod refertur à Mathæo de Papa in Franciâ conſtituendo. Refero verba; nec probo nec improbo; quod ſi referre, approbare eſt, quare non arguiſti ſchiſmatis Spondanum qui eandem hiſtoriam ex Mathæo refert ad an. 1243? At ſcripſi rem eſſe notatu dignam! ſcripſi equidem. Et ſunt etiam notatu digna, quæ ſingularia ſunt, quæque contra conſuetudinem dicuntur aut fiunt; licet nec probentur nec improbentur. Si quis olim Cenſurarum veſtrarum hiſtoriam conſcribet, non omittet fortaſſe notare verba quæ de me protulit non ſemel Syndicus veſter in hiſce Comitiis. *Perdendus eſt, perdendus eſt; eſt enim inimicus noſtræ Facultatis.* Aut hæc quæ Gallicè, *Il faut décrier & l'Ouvrage & l'Autheur. C'eſt l'ennemy juré de la Faculté.* Hæc inquam verba forte non omittet tanquam notatu digna in hoc noſtro negotio; nec tamen, opinor, ea valde probabit. Harum vulgo ſimiliumque rerum relinquitur ab Hiſtorico Lectori judicium, ſufficitque notaſſe.

K Approbat id quod dicitur apud Mathæum Paris, de poteſtate per S. Clementem B. Dionyſio conceſſa de conſtituendo Papa in Franciâ. *Tom. 3. p. 185.*

CONTRA CANONES & Diſciplinam Eccleſiaſticam.

L Falſum id quoque quod ais, me contra Canones peccare & diſciplinam Eccleſiaſticam, quid ibi dico, Cenſor? *pravam conſuetudinem* invaluiſſe ut ſacerdotes publicè uxores ducerent; invaluiſſe, inquam, *contra ſanctiones Eccleſiaſticas*, To. 1. p. 414. an non id verum? convenimus, opinor, non potuiſſe illos legitimè uxores ducere. Si de facto dubitas, auſculta, docebo. Ordericus Vitalis de Roberto Archipræſule Rotomagenſi ſic habet ad ann. 1037. 48. *annis Archiepiſcopatum Rotomagenſem & Comitatum Ebroicenſem rexit. Conjugem Herlevam ut Comes habuit, ex qua 3. filios, Richardum, Radulfum & Guillelmum genuit. Quibus Ebroicenſem Comitatum & alios honores ampliſſimos ſecundum ius ſeculi diſtribuit.*

L Dicit tempore Leonis IX. immo & antea Sacerdotes & Epiſcopos duxiſſe uxores non ſecus ac Laïcos. *Tunc enim temporis*, inquit, *immo etiam antea cœperant ſacerdotes & Epiſcopi ducere uxores non ſecus ac Laïci.* To. 1. p. 414.

Nicolaus II. in Synodo Lateranenſi an. 1059. omnibus Archiepiſcopis, Epiſcopis, Abbatibus, Clericis, Laïcis, fidelibus tam majoribus quàm minoribus per omnes Gallias commorantibus. ſal. & Ap. ben. *Quicunque Sacerdos Diaconus & Subdiaconus poſt inſtitutum B. memoriæ prædeceſſoris noſtri Leonis Papæ de caſtitate Clericorum Concubinam palam duxerit, vel ductam non reliquerit, ex parte Dei omnipotentis præcipimus & omnino contradicimus ut Miſſam non cantet, neque Evangelium aut Epiſtolam ad Miſſam legat.*

Gregorius VII. ad Othonem Epiſcopum Conſtantienſem. *Illa B. Papæ Leonis nos impulit autori-*

Item p. 495. dicit tempore Concilij Claromontani ſub Vrbano I I. Sacerdotes publicè uxores duxiſſe.

tas, qui Subdiaconis ineundi connubij licentiam prorſus abſtulit. Quod Decretum B. Papæ Leonis poſteriores S. Ro. Eccl. Pontifices ita pro lege ſanxerunt, ut deinceps tribus his Ordinibus Eccleſiaſticis, Sacerdotibus, Levitis & Subdiaconis omnino vincula conjugalia ſint prohibita.

Simeon Dunelmenſis lib. de Geſtis Anglorum Regum ad an. 1075. de Gregorio loquens. *Anno*, inquit, 1075. *dum Clerici magis eligerent anathemati ſubjacere quàm uxoribus carere, Hildebrandus Papa, ut per alios ſi poſſet, eos caſtigaret, præcepit ut nullus audiret Miſſam conjugati Presbyteri. Iuo Carnotenſis Ep.* 200. *ad Damibertum Archiepiſcopum Senonenſem. Per quoſdam è fratribus ejuſdem Eccleſiæ grave ſcandalum emerſiſſe cognovimus, partim propter Cantorem...partim propter quendam de Prælatis Eccleſiæ qui publicè ſibi duo ſcorta copulavit & tertiam pellicem, cui matrimoniales tabulas faciat, jam ſibi præparavit.* Quid ad hæc opus commento? Vrbanus I I. in Concilio Claromontano an. 1095. *Eos qui poſt Diaconatum cum uxoribus vacare voluerint, ab omni ſacro ordine removemus, officioque & beneficio Eccleſiæ carere decernimus. Quod ſi ab Epiſcopis commoniti non ſe correxerint, Principibus indulgemus licentiam ut eorum fœminas mancipent ſervituti.* Vide diſt. 32. & ibi Gloſſam.

Henricus Knygthon ad an. 1102. de Anſelmo Cantuarienſi ſic habet. *Vxores Sacerdotibus inhibuit Leiceſtriæ anno gratiæ* 1102. *prius non prohibitas.*

Callixtus in Concilio Remenſi ad an. 1119. Presbyteris, Diaconibus, *Subdiaconibus uxorum & Concubinarum contubernia prorſus interdicimus, &c.* Pœnitentialem Ro. tit. 8. c. 7. *Decernimus ubi qui in Ordine Diaconatus & ſupra uxores duxerint, aut concubinas habuerint, Officio atque Beneficio Eccleſiaſtico careant.* Item. *Statuimus quatenus Epiſcopi, Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi, Regulares Canonici, Monachi atque Converſi & Profeſſi qui ſacrum tranſgredientes propoſitum uxores ſibi copulare præſumpſerint, ſeparentur.* Vide plura ſi lubet apud Anton. Auguſtin. in Epitome Iuris Pontificij l. 6. tit. 28.

Iam ergo quid à nobis dictum eſt contra Canones? Conjugiane iſta licita fuiſſe? minimè quidem, nam expreſsè aſſero fuiſſe *contra ſanctiones Eccleſiaſticas.* To. 1. p. 414. A Presbyteris ductas uxores? neque hoc dictum contra Canones, quinimo ex Canonibus patet fuiſſe uxoratos. Vides ergo, Cenſor, quam vim

Contra ius et dignitatem Regis & Regni.

M Ait Carolum M. exemiſſe Regnum Franciæ homagio erga Imperatorem. Quod repetit tomo 3. p. 406. *Tom. 1. p. 112.*

N Inter proditores recenſet eos qui adhærebant Regi contra Comitem Veromanduæ ſubditum & rebellem, his verbis, *an. 944. iterum orta eſt inter Regem & Heriberti filios diſcordia propter quaſdam vrbes ditionis Veromãduæ à proditoribus Regi deditas & ab eo retentas.* Tom. *1.* p. *306.*

O In Capitale Pariſienſis ſtudij pro nullo forefacto juſtitia noſtra manũ mittet: quod quidem priuilegium cadere non poteſt niſi in Laïcũ, aut qui Laïcus exiſtimetur, non in Epiſcopum aut Cancellarium Eccleſiæ Pariſ. qui cum Clerici & Sacerdotes eſſent,

habeat tua Cenſura, quamque fidem factura ſit.

M Malicioſè, ne dicam improbè affingit mihi Cenſor, verba de Exemptiōe homagij, quæ ſunt Iordani natione Germani ſic aientis de Carolo M. *Statuit ut Francigenæ cum quadam portione Regni Francorum Regem haberent de Regali ſemine iure hereditario ſucceſſurum, qui in temporalibus ſuperiorem non recognoſceret. Cui videlicet tanquam Imperatoris poſteritas ad homagium vel aliquod obſequium non teneretur.* Hæc ſunt verba Autoris, ubi crimen noſtrum? quid addo de meo? quid inde elicio, aut quid iſtis verbis probare intendo? Vides me non alio fine ea retuliſſe, quàm quia cum alijs coniuncta ſunt, quæ faciunt ad laudem Vniverſitatis.

N Proditores appellantur ab Autoribus coævis. Aſcelinus Epiſcopus Laudunenſis qui Laudunum Hugoni Capeto Regi ſuo tradidit, in Chronicis *vetulus Proditor* ſeu *Traditor* vocatur, quia Carolo Lotharingo cui fidem obligarat, fidem violarat. Deinde quî ſcis, Theologe, Gubernatores illarum urbium fuiſſe ſubditos Regis? Nam ſi fuerunt Angli, Germani, Normani aut alij non ſubditi, ſtipendiis Comitis militantes, an non fuerunt infideles & proditores?

O Ita tum loquebantur Canoniſtæ, Concilia, Conciliorumque Canones. In Concilio Nemauſenſi, quod an. 1098. habitum eſt, ita legitur. *Quicunque Epiſcopum, Abbatem, vel Archidiaconum vel Presbyterum capere præſumpſerit, publicâ primùm dedecoratus infamiâ honoris ſui periculum incurrat, & tandiu excommunicetur & terra ſua interdicatur, quandiu Eccleſiæ ſatisfacere diſtulerit; de cæteris verò Clericis Canonica teneatur ſententia.* Et infra. *Nullus Clericos vel Monachos ad Curiam ſuam ad ſeculare iudicium cogat venire, quoniam hoc rapina eſſet & ſacrilegium.*

Concilium Lateran. IV. ab Innocentio III. an. 1215. habitum in c. 43. ſic habet. *Nimis de jure divino quidam Laïci uſurpare conantur, cum viros Eccleſiaſticos nihil temporale detinentes ab eis ad præſtandum ſibi fidelitatis iuramenta compellant.*

Aliud Lateranenſe ſub Leone X. ſeſſ. 9. tit. de Reformatione Curiæ, ſic loquitur. *Et cùm iure tàm divino quàm humano Laïcis poteſtas nulla in Eccleſiaſticas perſonas attributa ſit.* Quæris quo ſenſu jus iſtud divinum uſurpari debeat? accipe ex Couarruvia tom. 2. practic. quæſt. c. 31. de Iuriſd. in Clericos primæ Tonſuræ p. 505. *Frequenter dicitur aliquid iure divino ſtatutum ex eo quod à veteri lege divina, aut ab*

aliunde, nempe lege ſacra ſeu Canonica & jure divino ſecuri erant nec Civili indigebant, ut à vinculis tuti eſſent. pag. ead. Ait Clericos & Sacerdotes jure divino nõ poſſe in carcerem compingi pro quocunque forefacto. *Tom. 2. p. 665.*

aliqua veteris teſtamenti autoritate originem duxerit. Atque ideo cum aliquot in locis Teſtamenti veteris conſtet Sacerdotes in Principum privilegijs exemptos fuiſſe à tributis, ſit ſanè ut & apud Pontificias ſanctiones ſcriptum ſit hanc exemptionem Iure divino aut lege divina *inductam fuiſſe, præſertim quia plerumque dicitur* Ius divinum, *quod in vetuſtiſſimis Eccleſiæ univerſalis Concilijs & Synodis ad imaginem & imitationem veteris legis fuerit ſtatutum.* Nam & Ius Canonicum *lato quodam dicendi modo* Divinum Ius *dici ſolet.*

Si ergo me arguis, Cenſor, quod iure divino ſecuros ſcripſerim fuiſſe tum Sacerdotes, argue Canones, argue Concilia, damna Pontifices, quorum verbis uſus ſum. Cæterum ita ſemper intellexi, ita intelligo, non de jure quidem divino ſtrictè & propriè ſumpto, quo ſcio neminem ſubditum, cujuſcunque ſit dignitatis, eximi à Iuriſdictione Principis; ſed de jure illo divino latè ſumpto quod confundebant Decretiſtæ cum Canonico.

Quod vero ſubdis me pag. eadem 665. tom. 2. ſcribere *Clericos & Sacerdotes iure divino non poſſe in carcerem compingi pro quocunque forefacto*, craſſum eſt mendacium, quod ex inſpectione paginæ legenti patebit; nam ne verbulum quidem eorum profero quæ hîc Cenſor exponis.

P Quibus Auditis S. Facultas 1. 18. 22. & 23. diebus ejuſdem menſis & anni congregata unanimi omnium conſenſu, P.

P *exclamet Melicerta periſſe frontem de rebus*, unanimi omnium conſenſu dicis, Cenſor? quàm falſum id ſit, teſtantur ſexaginta ferè Doctores, ijque primariæ notæ, quos non dubitas interceſſiſſe voce, ſcripto, ac delatis ad Senatum querelis, & quorum operâ factum eſt ut immenſus ille tuus Indiculus Decreto publico ſpurius declararetur: ſi neſcis, accipe.

EXTRAIT DES REGITSRES de Parlement.

ENtre Maiſtres Nicolas Porcher, Adrian le Vaillant, Iacques Tirement, Iean Baptiſte Chaſſebras, Curé de la Magdelaine, Pierre Marlin, Curé de ſaint Euſtache, Iean Labbé, Thomas

mas Fortin, Auguſtin de Lamet, Antoine Faure, Loüis Marais, Iacques Boileau, Nicolas Leſcot, Henry de Barillon, Thomas Roulland, Iean Sonnet, François Loüis, &c. Tous Doćteurs en la Faculté de Theologie de Paris, Demandeurs en Requeſte du vingt-neufviéme Aouſt preſent mois, à ce qu'ayant égard à l'oppoſition par eux formée à la Cenſure proposée en ladite Faculté des trois Volumes de l'Hiſtoire de l'Vniverſité de Paris, que M. Ceſar Egaſſe du Boulay a fait imprimer, il ſoit ordonné qu'en la Cenſure qu'on pretend faire de ladite Hiſtoire redigée par ledit du Boulay, il y ſera inſeré *ſans prejudicier aux Droits du Roy, du Royaume, libertez de l'Egliſe Gallicane, aux Decrets & Cenſures de ladite Faculté*, d'une part, & M. Elie du Freſne de Mincé, Doyen, & M. Antoine de Breda, Curé de ſaint André des Arcs, & Syndic de ladite Faculté, Deffendeurs d'autre part, ſans les qualitez puiſſent prejudicier. Aprés qu'Abraham, Advocat des Demandeurs a demandé la reception de l'appointement, ſigné du Procureur General du Roy, Et que Carlier Huiſſier a rapporté avoir appellé les Deffendeurs. LA COVR ordonne que l'appointement ſera receu. Ce faiſant, aprés la declaration dudit de Breda, Syndic de la Faculté de Theologie, que l'Indicule des propoſitions extraites du Livre, dont eſt queſtion, ne doit point eſtre enregiſtré dans les Regiſtres de la Faculté, & qu'il n'a eſté dreſſé auſſi ample qu'il eſt, que pour ſervir de memoire pour les differends que les Facultez Superieures ont avec la Faculté des Arts, & que ladite Faculté n'a point entendu cenſurer autres Propoſitions que celles qui ſont ſpecialement inſerées en ladite Cenſure, luy a donné Acte de ladite Declaration. Et en conſequence, ſur la Requeſte dudit Porcher & conſors, a mis & met les parties hors de Cour & de procez, ſans dépens. Fait en Parlement, le trente & uniéme Aouſt mil ſix cens ſoixante & ſept.

Q. Opus illud improbavit indignumque judicavit quod nomine Academiæ Par. ederetur in lucē.

R. Vtpote inſulſum, ineptum, abſurdum & in multis ſcandalo-

Q. Non placet vobis tumultuoſis Cenſuræ Autoribus Hiſtoria noſtra. At placet multis viris bonis Doctiſque & æquis rerum æſtimatoribus : placet jurium Regni Eccleſiæque Gallicanæ libertatum defenſoribus, placet ſalutis publicæ, ſtudioſis, Univerſitatis vindicibus ac propugnatoribus.

R. Nihil eſt facilius quàm maledicta maledictis repenſare. Poſſem in plurimos veſtrum, ſi minus Chriſtianus eſſem, *Tincta Lycambæo ſanguine tela da-*

ſum, contumelioſum omnibus Ordinibus, turpe, obſcœnum, inhoneſtum.

S Præterea cenſet ſupradictas propoſitiones eſſe reſpectivè contra veritatem ſacræ Hiſtoriæ, contra ſacram doctrinã ſeu Theologiam, faventes hæreſi & hæreticis, ſchiſmaticas, contra Canones & Diſciplinam Eccleſiaſticam, & contra ius & dignitatem Regis ac Regni.

re. Sed iſtud quid eſſet, niſi convicia regerere? Abſit hoc à me. Furioſorum eſt certare contumelijs, cum rationibus non poſſint. Accipite hoc Auguſtini. *Veritatis Adverſarij, cum veritatem ipſam criminari aut obſcurare non poſſunt, hos per quos prædicatur, inducunt in odium.*

S Nihil eſt in toto opere contra veritatem hiſtoriæ ſacræ, nihil contra ſanam Theologiam; nulla propoſitio favens hæreſi, & hæreticis, nulla ſchiſmatica, nulla contra Canones & diſciplinam Eccleſiaſticam: & quæcunque in eo continentur, ad dignitatem Regis, Regnique decus ac jura tuenda conſcripta ſunt. Si quid contra incogitanti exciderit, indictum volo, correcturum ſpondeo, ut verè & ſincerè Chriſtianus & Catholicus, ut Regi meo Regnoque addictiſſimus ex animo; ex animo, inquam, utpote nec divitiarum egens, nec dignitatum appetens, ſatis contentus mea ſorte, ultraque ſanitatem mentis & corporis nihil Deum laceſſens. Cæterum nemo non mirabitur objici mihi à vobis crimen adverſus Regem, cui in Indiculo veſtro pag. 4. & 5. adimitis ex profeſſo convocationem Synodorum Nationalium, præſidentiam in eiſdem & ex ſententia Synodali concluſionem. Et ead. p. 5. *Beneficiorum collationem*. Item contra Regnum; quòd illud in eodem Indiculo veſtro Palladij ſui, nempe Univerſitatis Pariſ. vi & fortitudine privatum vultis, dum cenſurâ putatis dignam eſſe, quòd abſque autoritate Eccleſiaſtica condiderit condatque leges ad ſtatum ſuum pertinentes; quòd Bullis Pontificum reſiſtat reſtiteritque fortiter, (cum reuerentia tamen) quoties putat aut putavit eas libertatibus Regni ſuiſque privilegiis adverſari.

Videtis ergo quid ſit inter nos diſcriminis. Ego exemplis quibuſdam probavi & probare poſſum longè pluribus, Reges noſtros convocaſſe nonnunquam Synodos Epiſcoporum, iis præſediſſe, & ex ſententia Synodorum concluſiſſe. Vos me idcirco erroris, &, ſi Diis placet, ſchiſmatis inſimulatis. Ego libertates Regni tueor, vos deſtructas vultis. Ego doctrinâ Academicâ & antiquâ Regum Chriſtianiſſimorum dignitatem propugno: vos peregrinâ & novâ obſcuratis & deprimitis. Ego Univerſitatis Matris meæ, Facultatis etiam veſtræ honorem, authoritatem, Decreta, Cenſuras invictæ fortudinis eſſe cupio, vos deplorandâ vertigine, & pudendâ cœcitate profligatis. Porro unum vos monitos velim, ut quàm clarè & perſpicuè fidem meam ſtudiumque erga Matrem bo-

norum ſtudiorum Univerſitatem Pariſienſem; in Eccleſiam, in patriam & in Regem Chriſtianiſſimum ſcriptis omnibus meis ego probavi, vos quæ in illo vaſto & vegrandi Indice, verius dicam famoſo libello, contra parentem Univerſitatem, contra dignitatem Regum noſtrorum Regnique Chriſtianiſſimi jura conſcripſiſtis, tam citò tamque facile delere curetis.

Sed liceat ad Concluſionem veſtram animum reflectere. quibus verbis concepta eſt? vix crederetur, niſi conſtaret deplorabilem in vobis fuiſſe aut cœcitatem, aut arrogantiam. Data fuerat fides Actoribus Regiis vos aliquas tantummodo ſententias propriâ notâ ſingulas affecturos. Quid facitis? pauculas quidẽ ex opere immenſo, quas malignâ interpolatione & falsâ interpretatione depravaſtis, deſcribitis, ſed omnes generatim malevolâ notâ & fraudulenter adſpergitis *reſpectivé*, nullam ſigillatim, nullam propriè, verè nullam. prò Deum immortalem! quæ eſt iſta agendi ratio? tandiu deſudaſtis, tanto labore, tanto tempore tamque curioſè collegiſtis verbula noſtra, in quibus fundamentum Cenſuræ fore putaſtis; ubi verò ad Cenſuram ventum eſt, ne unam quidem propoſitionem propriâ notâ afficere potuiſtis. An id eſt Doctorum omni poſcenti rationem reddere paratorum? Feritis omnes, quia nullam ferire potuiſtis, & cum veſtro illo *reſpectivè* barbaro lectorem non magis inſtructum, Autorem non magis correctum relinquitis.

Præterea promiſerant Syndicus & Decanus nomine publico, nihil dictum iri de univerſo opere: & hæc erat cauſa litis intentatæ à Poreherio & aliis, qui nolebant opus *in globo* notari, propterea quod in eo multa continentur Eccleſiæ, Regno, Regi, Univerſitati utilia & ſuo tempore profutura. Quid verò vos? opus univerſum dicitis *inſulſum, ineptum, abſurdum, &c.* Sic in opus quod pro Facultate Artium contra vos conſcriptum clamitatis, ultores odij veſtri debacchamini contumelioſè & plauſtra congeritis conviciorum, non ut partes adverſæ, hoc enim ferri poſſet, ſed ut judices, quod bonis moribus repugnat. Sic Curiæ Decretis illuditis, ſic fas juſque omne pervertitis.

Additis opus illud univerſum fuiſſe unanimi conſenſu improbatum; proh pudor! ex iis quæ ſupra dicta ſunt, inſignis mendacij & impoſturę convincimini, convincimini ex propria confeſſione veſtra apud Tres-viros Regios facta, nolle vos alias propoſitiones ferire quàm quæ ſpeciatim in Cenſura continebantur:

Convincimini ex reclamatione, & ut ſic dicam, ex reluctamine plurimorum Doctorum primariæ notæ; quorum in numero ſunt, ut cæteros prætercam, Marlinus S. Euſtachij, Chaſſebraſius Magdalenæ, Vaillantius S. Chriſtophori, Coquelinus S. Mederici Curiones ſpectatiſſimi; Lametus, Barillonius, [redacted] Abbates nobiliſſimi, Fortinus & Faurius Gymnaſiarchæ notiſſimi. Et id eſt unanimi conſenſu fuiſſe noſtrum opus improbatum! Fateor, parum me movit illa Cenſura veſtra, quam ſciebam omnibus Doctis & æquis rerum æſtimatoribus improbari & improbandam; nec erat animus reſpondere quidquam: ſed ut legi concluſionem illam, quæ ſacræ Facultatis quam ex animo veneror, nomen falsò præ ſe fert, cogitavi genus eſſe crudelitatis famam negligere, nec potui cohibere manum ſtylumque retinere. Hæc eſt cauſa Notarum noſtrarum ad Cenſuram, quas tu, Lector, quandoquidem ab iniquis Cenſoribus obtinere non potui ut acciperent, benigniori & æquiori judicio expende.

Scribebam apud Regiam Navarram die 12. *Septembris anno* 1667.

Cæſar Egaſſius Bulæus Emeritus Eloquentiæ Profeſſor, antiquus Rector & Scriba Vniverſitatis Pariſienſis.

Case Wing folio o Z 144 .A1 v. 2 no. 7 6
THE NEWBERRY LIBRARY